

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Stultifera Nauis

Brant, Sebastian

Basiliensi, [1. Aug. 1497]

Qui alios iudicat

[urn:nbn:de:bsz:31-411159](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-411159)

¶ Qui alios iudicat.

Se iustum quicūq; putat: vitāq; probatum
Iudicat atq; alios homines/censetq; nocentes:
Nec contemplatur semet: capit ille ruīnam:
Sit licet in casu: cunctos notat ipse caedntes.



Stultitię vitio metuenda pericula multi
Incurrunt: mortis exitiūq; graue:
Quos spes vana trahit vitę faustęq; salutis
Prosperitas: quę mox fluminis instar abit.

Judicār alios.

Nolite iudicare.
vt nō iudicabimī
nolite cōdemna-
re & nō condem-
nabimīni: qd aut
vides festucaz in
oclo fratris tui &
trabem in oculis
tuis n̄ vides? Tol-
lere festucā q vis
de fratris ocello.
Que tua contur-
bat lumina tolle
trabē. Iudicet ille
de alterius errore
q nō hz in seipso
quod cōdemnet

Math. vii.
Luce. vi.
glo. i. c. ea que
de sta. reg. iii.
q. vii. iudicet.

- prouer. xxiiii
 &. xxvi. Se putat esse bonū / se iustū: seq; potentē:
 Magnanīmū / & nullum posse subire malum
 Non metuit mortē: quonīā spe ductus inani:
 Eccē. v. Floccifacit post se quicquid in orbe manet.
 Horatius i ep Quicquid delirant alii: mox carpit iniquo
 Dente Theonino: nec sua facta videt.
 Sed fatuus quīuis spem pectore seruat inertī:
 Qua sperat sese viūere posse diu.
 Math. vii. Si videt alterius mortē vitēq; ruīnam
 Ad Roma. ii. Affore: non meminit se prope posse mori.
 Eccle. xi. Mox causam fingit: citius cur raptus: aitq;
 Non alias validus / nec bene sanus erat.
 Eccē. xxxviii. Quin tristis: nigro & suffusus sanguine: plenus
 Et scelere atq; dolis: improbulusq; fuit.
 Propterea omnipotens excelsi rector olympi
 Fecerat hunc subita morte perire virum.
 Post mortem fatuus sceleratus / iudicat illum:
 Forsitan ætherei quem fouet aula poli.
 Sapientie. iii Inter cœlestes sua qui solatia ciues:
 Nectare & ambrosia fors bene pastus habet.
 Eccle. xxi. Iudicat alterius mortem: qui compede strictus
 Est scelerum: & vitiis membra ligata tenet:
 Eccē. vii. Nec metuit poenā: neq; mortis tempora: quę mox
 Obseruans lachesis: stamina fessa secat.
 Seneca Terminus incertus læti est: incerta diesq; &
 Apoca. xviii. Hora: volant tacito tristia fata pede.
 Vir bonus & iustus: falso quandoq; putatur
 Esse malus: nescit pectora sola deus.
 iii. q. vii. iudi Iudicat alterius vitam quicunq; probatum:
 cet. Sincerum / & iustum condecet esse virum.